

Christian Schlee Daniel Michaelis

Disputatio Theologica De Iustificatione Hominis Peccatoris Coram Deo

Rostochi[i]: Pedanus, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737673850>

Druck Freier  Zugang



Vort. : D. Michael

Chr. Hedanus,

R.-U. theol. 1614.

Σ Τ Ν Θ Ε Ω

Disputatio Theologica

D E

JUSTIFICA-
TIONE HOMINIS
PECCATORIS
CORAM DEO,

Quam

SUB PRÆSIDIO

Dn. CHRISTIANI SLEDANI,

S. S. Theologiæ Doctoris, & in celeberrimâ
Academiâ Rostochienſi Profes-
ſoris digniſſimi,

Publicè discutiendam proponit

DANIEL MICHAEL

Anclamenſis Pomeranus.

*Habebitur Disputatio in Auditorio magno
ad diem 9. Aprilis.*



R O S T O C H I

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno cl b CXIV.

Reverendo, Nobilissimo & Excellen-
tissimo Viro,

Dn. BARTHOLDO, KRAKEVITZ,
S. S. Theologiae Doctori, & in veteri Gry-
phisvaldensi Academia Professori ordina-
rio, citerioris Pomeraniae Superatten-
denti generali vigilantissimo:

NEC NON

Clarissimo ac Consultissimo
Viro,

Dn. IOACHIMO SCHONERMARCKIO,
I. U. Doctori, & in inclutâ ad Varnum Aca-
demiâ Professori publico, Adessori judicij pro-
vincialis Megapolensis dignissimo, ac
Collegij Iuridici pro tempore
Decano spectabili:

Dnn. Patronis ac fautoribus suis debitâ observantiâ
aeternum honorandis

Hanc DE JUSTIFICATIONE disputationem

Submisit inseribit

Daniel Michaël
Auctor & Resp.



DE JUSTIFICATIONE.

THESIS I.



Utm mutua sententiarum collatio non parum
faciat *αὐτῶν ἀλλήλων τῆς πίστῶς*; huic bono
sacram *αὐτοδίαλεξι*, Deo conatibus clemen-
ter aspirante, consecraturus, de hominis
peccatoris coram Deo Justificatione Ar-
ticulum mihi deligendum putavi.

2. Is enim praeipuus verae religionis cardo jure dictus
est, Locus ut difficilimus, ita summè necessarius, augustissimus,
vividaq; consolationis plenissimus; quo corrupto impossibile sit,
dicente B. Luthero, ut uni errori aut fanatico spiritui obviam
iri possit stante verò eo, velut arcà quãdam Domini, quidquid
est corruptelarum & superstitionum in reliquis locis ferè omni-
bus, ad exemplum idoli Dagon. 1. Sam. 5. v. 1. & seqq. consistere non
posse, sed facillè disjectum iri, graviter pronuntiabat D. Chemn.
part. 2. L.C. mihi p. 546.

3. Praeterea, nisi quis, quo loco apud Deum sit, cognitum
probè perspectumq; ex hac doctrinà habeat, ipsi in veris terro-
ribus (in primis ad cogitationes de tremendo illo Dei justissimi
judicio, quo mens heic planè referenda est exsurgentibus) solida
concupienda consolationis & pietatis in Deum erigenda funda-
mentum restare nullum, cuiuslibet rem piè & attentè perpendenti
facillè patebit.

4. Mirum igitur non est, quod hostis ille Dei & homi-
num insensibilis diabolus, aciem suam usquequaq; studiosissimè
adversus hunc instruxerit locum, ex quo optimè sentit illa tela
preparari, quibus regnum suum conficiatur ac penitus evertatur.

5. Sed ut rem ipsam propius intueamur, initio satis con-
stat, doctrinam hanc suâ sublimitate omnem ingenij humani

aciem longè transcendere: cui stulta sit predicatio 1. Cor. 1. 18.
Et seqq. Loquimur enim, ait Apostolus, sapientiam Dei in mysterio, quæ abscondita est 1. Cor. 2. 7. Omnes igitur, quibus cordi fuit pietas, ad solius fidei, seu verbi divini amussim illam revocandam esse, firmiter statuerunt.

6. Quod dum amplexantur Et adfirmant Orthodoxi, accuratè omninò discrimen duorum, quæ doctrina revelata agnoscit, præcipuorum capitum, Legis sc. Et Evangelij, quod monstrat Scriptura, tenendum esse præcipiunt.

7. Id enim quandò constat, Legem Dei Moralem esse exactissimam justitiæ divina regulam; quam qui non perfectè servaverit, sed offenderit in uno, omnium reus sit ac maledictus Jac. 2. 10. Deut. 27. 26; Nostriq; eam esse prævitatem ingenij, quæ illius rectitudini perpetuò adversetur Gen. 6. 5. Et vires nostras, ut sunt imbecilla, Et ad bonum enervatæ, infra ejus perfectionem procul jacere Rom. 7. v. 14, 18. c. 8. v. 7. Et c. statim colligimus, quod sub rigore justitiæ divina in Lege tradito constituti, nequaquam servari possimus, sed de Legis operibus diffisos, totam salutis nostræ summam in Dei misericordiam rejicere sit necesse, per quam stamus Et gloriamur Rom. 5. 2.

8. Sanis itaq; judicijs ambiguum amplius esse nequit, per Legem apud Deum nullam carnem justificari Gal. 2. 16. c. 3. 11. Sed justitiam Dei in Evangelio revelari absq; Lege Rom. 1. 17. c. 3. 21.

9. Undè etiam à fortiori consequitur, nec Legem Naturæ, nec Ceremoniales ac Forenses, Leges Mosis heic in calculum venire, Et ingredi negotium Justificationis. Qui enim in his (ex hypothesi) Morali Lege neglecta salutem quarat, perindè sit, ac si quis repudiato navis optimo rectore pessimum deligat.

Definitio
nominis.

10. Porro expedite tenenda est verbi significatio. Justificare enim Pontificijs tantum valet ac justum facere, per adæptionem justitiæ inbærentis; non, justum pronunciare, ut docet:
Bellarm.

Bellarmin. lib. 2. de Justif. cap. 3. A quibus non multum disidet
Oflander, qui inhaerentiam illam in Sanctitate, quam nobis ef-
sentia Dei inhabitans inspiret, positam esse contendit.

11. Orthodoxis illud forensē est, decretis scriptura ut
nihil sit aliud, quàm reum declarare ac censere justum, eumq; ceu
innocentem à reatu absolvere.

12. Quae sententia plenam fidem apud eos obtinebit, quos
non piget considerare, quae isti ex naturâ vocis Hebraeae, Graecae,
quin & Latinae, si usum spectes, deduxerunt, ut videre est apud
Chem. super hâc re; & alios.

13. Illam etiam Scripturae testimonijs patet esse verissi-
mam Deut. 25. 1. 2. Sam. 15. 4. Ps. 143. 2. Prov. 17. 15. Matt. 11.
19. Luc. 7. 29. 35. & plurimis alijs: in quibus qui justificare per
infundere qualitates, inhaerenter justum facientes, reddere &
explicare voluerit, ineptus sit ac planè absurdus.

14. Ad stipulatur nobis, quae sese in Scripturâ sacrâ ubiq;
profert, Justificationis, & verborum extra ullam controversia
aleam judicialium, Accusationis ac Condemnationis oppositio
1. Reg. 8. 32. Prov. 17. 15. Esa. 50. 8. Matt. 12. 37. Rom. 5. 16. c. 8.
33. 34. 2. Cor. 3. 9. &c.

15. A quo fundamento quo minus nos abduci patiamur,
facit, quod illi ex assē Scriptura consentit; quae Justificationem
nobis ut actum seu processum judicialem perpetuò depingit: Ut
liquet exemplo Publicani Luc. 18. 13. quem velut reum ad Dei
tribunal ob peccata sistit; quorum ille conscientia attritus, mi-
sericordiâ Dei numero peccatorum eximitur atq; absolvitur, &
Christum ipsum justitiae suae habet adfertorem v. 14.

16. Ejusdem rationis est, quod Judex Joan. 5. 27. Act. 10. 42.
c. 17. 31. Tribunal Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. Reus Rom. 3. v. 9. &
seqq. Debitum Matt. 6. 12. Advocatus 1. Joan. 2. 1. Actor Rom. 4.
15. &c. formâ judiciali expresse nobis in Justificationis negotio
ob oculos ponitur.

17. *Quarè, nè quasi de re dubiâ disceptemus diutiùs, verbum Dei apertum est, quod, quid nomine Justificationis veniat, perspicuè declarat. Remittere enim peccata Rom. 3. 25. c. 4. 7. 1. Joan. 1. 9. non judicari Joan. 3. 18. Servari Act. 15. 11. Eph. 2. 8. 2. Tim. 1. 9. Tit. 3. 5. Et similia, quibus illud ut synonymis exprimitur, judicialia esse, quis ausit negare? Quod tamen de voce Servari adfirmamus, extra causam presentem non debet extendi.*

18. *Amplò verò falsitatis dogmatis contrarij documento esse poterit, quod ne unico quidem Scriptura loco, quàm anxie etiam indagarij, solidè illud adstruere ac confirmare queant.*

19. *Nam quod ex Dan. 12. 3. arripiunt, quomodò Ecclesie ministri justificando infundant justitia habitum, id verò accuratiori indiget demonstratione. Veriora enim edocti, illos loco Dei justificare, solvendo, Et voce Evangelij peccata remittendo, ex Matt. 16. 19. c. 18. 18. Joan. 20. 23. statuunt.*

20. *Quam nobis ex Esa. 53. 11. faciunt controversiam, si termino Scientiæ ipsam fiducialem notitiam (ex mente Servatoris Joan. 17. 3.) quâ servamur seu justificamur in foro divino, intelligamus, nihil illà implicamur.*

21. *Cetera, qua in aciem contra nos producunt heic, lucidiora sunt, quàm ut ullà caligine sese obvolvi patiantur. Et locus Apoc. 22. 11. nequaquam illis patrociniatur: in quo justificandi verbum Sanctificationem notare, contrariò sordescendi docetur: ne jam vocemus in patrocinium, quòd nulla urgeat necessitas, etiã hoc loco à dictâ illius significatione recedendi: ut in eo sit adhortatio ad persistentiam in gratiâ Dei, Et in verâ fide perseverantiam.*

22. *Mitto alia; id modò fixum maneat, quod Et causa presentis sufficit, Et cui firmiter insistendum: quod illi profitentur, in hac doctrinâ nequaquam obtinere locum, nisi Paulo in os contradicere presu-*

presumant Rom 4. 7. aut remissionem peccatorum iustitia in-
sionem esse, insigni absurditate adfirment.

23. Ut jam amplius in vocis compositione barere nequa-
quam liceat: sed ejus potius vim à Spiritu S. discere: à quo præ-
scriptum in verbo ordinem (contra, quam Pontificij, ad omni-
potentiam Dei provocantes) merito tuemur, & statuimus, illo
nostram iustitia rationem esse certissimam adjaciendum conscien-
tia firmanda fundamentum in judicio Dei, cui Servator noster
pro nobis satisfecit perfectissimè: quemadmodum etiam debitor
in judicio humano, persoluto per alium debito, jure absolvitur ac
justificatur.

24. Porro justa rei constabit Definitio, si dicamus: Ju-
stificationem esse actionem Dei, ex merà gratiâ creden-
tibus peccata remittentis propter Christum, ejusq; iusti-
tiam gratis, sine operibus, per fidem imputantis, & ad
vitam æternam acceptantis Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. & c.

Definitio
rei.

25. Singulas hujus Definitionis partes Ἀξιόλογον per-
sequemur. Ac Genus quidem ex verborum activorum, justifi-
care, peccata remittere, justitiam imputare & c. in sacro codice
frequentia, expeditius est, quàm ut in faciendâ ejus fide laborare
sit necessè.

Definitionis
Genus

26. Auctor & causa justificationis nostra princeps Deus
est, essentiâ unus, & trinus personis, Joan 3. 16. Rom. 4. 5. c. 5.
8. c. 8. 33. 1. Cor. 8. 11. Gal. 2. 20. Eph. 5. 25. & c. Ad quod con-
firmandum ab operum Dei externorum naturâ ulterior quoq;
peti potest probatio.

Causa.
1. Efficiens.

27. In illâ gratia Dei immense testificatio pleno fulgore
nobis apparet. Gratia autem vox Pontificijs est in Prædica-
mento Qualitatis: qui illam de donis nobis inherentibus, gratis
vero à Deo collatis & infusis interpretantur; ob qua homo ju-
stus & acceptus judicio Dei habeatur, & iusticia testimonium
apud ejus thronum mereatur: Ut inter alios videre est apud
Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 1.

Apud

28. Apud Nos in confesso certè est, quos Deus recipit in gratiam, statim illis utrumq; conferri: remissionem sc. peccatorum, & vite novitatem: qua duo Scriptura momenta non ineptè dixeris, ad exprimendam indissolubilem illorum coherentiam sive consequentiam: quâ ratione voce Gratia, inter cetera, renovationis dona non obscure Scriptura representat Rom. 12. 6. & alibi.

29. Id tamen præsentem non tangit controversiam: cujus cardo vertitur in eo: Ubi de Justificatione agitur ex professo, Rom. 3. & 4. Eph. 2. v. 5. 8. Act. 15. 11. & c. quid ibi vocabulo Gratia intelligere debeamus? Seu, Quid illa Gratia sit, quâ justificamur & servamur?

30. Hic vero contra Papicolos Orthodoxi eam in Relatione constituunt, & de benignitate ac misericordiâ Dei, quâ solâ peccatores firmam salutis aeternæ spem, abjectâ omni operum & propriæ dignitatis fiducia, concipere possint, Scripturæ suffragio accipi debere, masculè tuentur.

31. Deus enim nihil in homine inveniens, nisi desperatam miseriam (omnes namq; naturâ eramus ira filij, mortui peccatis Eph. 2. v. 3. 5. inimici Dei Rom. 5. 10. & metu mortis per totam vitam servituti obnoxij Hebr. 4. 15.) nec quidquam reputans in illo, quo justus posset pronuciari; gratosus ille, amplâ benignitate & misericors Deus Jon. 4. 2. quâ homini beneficeret, & in possessionem salutis aeternæ revocaret ac reponeret, causam à seipso petijt, atq; peccatorem misericordiæ suæ sensu clementer adfecit, ut justitiam, in quâ homo tutò recumbat & adquiescat, solâ gratuitâ bonitate divina obtineret.

32. Sic sanè est: Ut ex pluribus scripturæ locis certè & solidè colligitur. Nam Apostolus expresse pro iisdem habet Dei gratiam & misericordiam Eph. 3. v. 4. Tit. 3. v. 5. 8: qui certè sui oblitus non erat, quandò vocem יָרַח Exod. 33. 19. per יִרְחַם reddidit Rom. 9. 15. Unde ratione non planè nulla ab interpre-
tibus

vibus & Graecis & Latinis multis in locis verbo miserendi illam expressam esse animadvertunt.

33. Et observatu dignissimum est, quod Chem. in Locis pie monet, Ps. 6. 3. & Ps. 123. 2. & c. eandem non proprias vitutes seu fundamentum respicere, sed meras pretendere miseras, ut monstret fundamentum in Deo, ipsam nim. ejus misericordiam, quã ad gratificandum ac juvandum commoveatur.

34. Sic Paulus Justificationem nostram in misericordiã Dei constituit Tit. 3. 5. Et præclare idem: Gratia Dei data nobis est 1. in Christo, non in nobis, 2. ante tempora secularia. 2. Tim. 1. 9: Quo haud quid dilucidius ad confodiendum dogma contrarium desiderari queat.

35. Nec frustra est, quod idem ille Gratiam à dono per gratiam non obscure distinguit Rom. 5. 15. Ex quibus simul liquere potest, non attendi operum in Renatis ex fide promanantium ortum gratuitum (Omnis enim homo etiam non renatus, quæcungq. habet, gratuita sunt, nihil quod non acceperit 1. Cor. 4. 7.) quando nos Scriptura tam sollicitè ab operum nostrorum abducit intuitu, ut etiam illa Gratia ἀντιπροσώπων opponat Rom. 11. 6. Eph. 2. v. 8. 9. 2. Tim. 1. 9; Sed eorundem efficaciam in opere Justificationis: Ut ita nulla Sophistis obliqua subterfugia relinquuntur.

36. Nec ita magni est momenti, quod quidam de operibus Ceremonialium ac Forensium Legum apud Apost. tantum agi contendunt. Id enim ex collatione locorum Gal. 3. v. 10. 12. Luc. 10. 28. Deut. 27. 26. palam falsum & vanum esse deprehenditur.

37. Hoc fortasse speciosius obverti videri posset: Non adfirmari in Sacris, quasi in operibus renatorum etiam salus nostra ex parte non resideat. Quod diverticulum sacra velut anchora est Jesuitis, Ut videas apud Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 19. & c. & alios.

38. Sed cui accedere minimè poterit, apud quem Apostoli
B
obinet

obtinet testimonium: qui de Abrabamo differens Rom. 4. ex fide operante Hebr. 11. v. 8. & seqq. ejus opera manifestè Gratia operantem non operantem ineptè dicere gestiatur.

39. Sed & opera τῆς δικαιοσύνης eodem loco ab illo haberi conspicuum est. Tit. 3. 5. quum non renatorum peccata dicantur Rom. 14. 23.

40. Deniq; renatorum opera Legis esse certissimum est: quippè in Lege præcepta Matt. 22. 37. & seqq. Rom. 13. v. 8. 10. quibus Apostolus ubiq; justitia laudem expresse detrabit: atq; ita Scriptura ad minimam usq; particulam justitiâ exiit hominem, donec solâ Dei misericordiâ fretus, in spem salutis erigatur, & ab omni gloriandi materiâ depellatur Rom. 3. 27. c. 4. 2. Eph. 2. 9.

41. Eo, quæ hæcenus differuimus, maximè faciunt: & ut Deo laus immense suæ misericordiæ & amoris adversus hominum malignitatem firmissimè adseratur: quæ tanta est, ut nequaquam, nisi validissimè repulsa, à propriæ justitiæ persuasione, atq; vix sic quidem, Deo quod suum est, concedatur.

42. Quin & fundamentum salutis nostræ infirmum sit totum, ob adjacens nobis malum Rom. 7. 21. si certitudo ejus in operibus nostris recumbat: quum per gratiam sit promissio, ne quâ parte tremat aut vacillet Rom. 4. 16. Ut sciamus, nequaquam esse de nihilo, quod scriptura tam sollicita est in illo, ut quid Gratia nomine heic valit intellectum, perspicuè habeamus.

43. Eo enim respicit adjectio particula Gravis Rom. 3. 24. quæ omninò esset obliteranda si operum aliquod meritum justitiæ in nobis exstaret, nec solâ Dei benignitate nomina nostra in conspectu Dei expungerentur: Ut alias prolixè satis à nostris est demonstratum.

44. Hoc loco contra blasphemum illum Socinum & compli- ces breviter etiam notare, operæ pretium est: Gratia Dei opera tantum hominum, non vero Christi meritum & satisfactionem adver-

adversari, adeoq̄, qua sunt subalterna, valdè inscitè opponi.

45. Neg. enim cum illis absoluta quadam misericordia, quâ peccatores complectatur Deus (Nam de eâ in essentiâ Dei consideratâ jam non quarimus,) absq̄ ullo divina justitiæ temperamento imaginanda est: nisi quis proprietates in Deo inter se odiosè conflitari, aut nullam planè intra Dei essentiâ contingeri misericordiam & justitiâ (ut quidem importuni illi homines facere non verentur) absurdè sinxerit.

46. Quem tamen ipse Peripatas hodiè ridebit. Eminentiam enim natura (sic loquuntur) eminenter quoq̄ omnium perfectionum & virtutum rationes (sine tamen omni adfectuum admixtione) in Deo requirere, in illo vix controversum deprehendas.

47. Et quid impium magis ac blasphemum posset cogitari, quam Dei sanctissimi atq̄ justissimi ullum cum peccato ac peccatore commercium: qui abominatur iniquitatem, & diligit justitias, in quibus ambulat Ps. 5, 6. Et 45, 8. Prov. 8, 7. Esa. 33. v. 14, 15.

48. Quando ergò Paulus dicit, quod Deus justificet eum, qui est ex fide Jesu, ut ipse justus sit: manifestè notat admirandam hanc justitiæ & misericordiæ divinæ in Christo contemperationem. Undè qui ab hac viâ deflectunt, & aditum ad Deum per fidem Christi deserunt, illis nullus ad illum accessus, & in ejus conspectu præter iram, judicium & terrorem, nihil quidem superesse potest Ioan. 3, 18.

49. Et hoc est, quod affirmat scriptura, Gratiam Dei in Christo nobis obtigisse Eph. 1, 6. 2. Tim. 1, 9. & nos justificari gratis Dei gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & c. Rom. 3, 24. Qui locus solus impiam hominum illorum volèntiam satis superq̄ retundit.

50. Dicimus ergò, & inconcusse credimus ex verbo Dei, quod nobis ex primorum parentum transgressione horrendum planè æternæ mortis, de justissimi numinis divini immutabili de-

ereto & edicto Gen. 2, 17. incumbēbat supplicium, Christum sustinuisse, nosq̄. ab illo clementer ac sufficienter liberaſſe.

51. Illius enim sanguine sordes peccatorum nostrorū absterguntur 1. Ioan. 1, 7. qui est mediator noster 1. Tim. 2, 5. cuius morte Deo, cum inimici ejus essemus, sumus reconciliati Rom. 5, v. 8, 10; Et propitiatio pro peccatis totius mundi. 1. Ioan. 2, 2. quem proposuit Deus ἵνα ἡμεῖς per fidem in sanguine ipsius Rom. 3, 25.

52. Cum namq̄. sit impossibile, absq̄. sanguinis effusione peccata remitti Heb. 9, 22; in V. Testamento oblata fuerunt Deo sacrificia pro illorum condonatione Heb. 5, v. 1, 3; Levit. 1, v. 2, 3, 4, c. 4, v. 3, 6, 16, v. 21, 22, c. 17, v. 11. Multo ergo magis Christi sanguine ab ijs purificabimur, qui unā oblatione pro peccatis πάλαιον illos, qui sanctificantur Heb. 10, v. 12, 14; atq̄. ita desinito Dei consilio ac voluntate animam suam dedit λύτρον καὶ ἀντιλότρον, pretium redemptionis pro omnibus Act. 2, v. 23, c. 4, v. 27, 28. Matt. 20, v. 28, 1. Timoth. 2, v. 6. Ioan. 10, v. 18. Ut merito exhorrescit mens pia ad ea, que impietati toti destinati homines de occasionali passione & reconciliatione scandalosā blasphemiam exulcerato hoc seculo (pro dolor) eructare non contremiscunt; quam insignem impietatem Christo ipsi, cujus heic agitur caussa, vindicandam relinquimus.

53. Et extremē improbus jure haberi debet, qui audit, livore Christi nobis sanitatem restitui Esa. 53, v. 5, 1. Pet. 2, v. 24; qui factus est pro nobis maledictum Gal. 3, v. 13. ut nos redimeret ab omni ἀνομία Tit. 2, v. 14. & peccatores servaret 1. Tim. 1, 15; nec esse in alio salutem Act. 4, v. 12. & sexcenta alia; nec tamen veritatis ac testimoniorum evidentiam quidquam tangitur ac commovetur.

54. Est ergo Christus verē caussa meritoria nostre justificationis, quam nobis adquisivit 1. luendo pœnam (ut dictum est) peccatis nostris debitam; pro quibus mortuus est 1. Cor. 15, v. 3, Rom. 5, v. 9, 10. Atq̄. id vulgo vocant obedientiam Christi passio-

passivam, quâ patri suo pro nobis ad mortem usq; crucis obediens factus est. 2. Legem Dei perfectè implendo; quod obedientia dicitur activa. Et hæc nequaquam à perfecta nostræ salutis summâ excludenda est: siquidem tollendæ damnationis, & justitiæ nostræ adferendæ non satis erat, mortem, & ingentes illas obire passiones, neq; in solâ Christi morte solidè nobis reposita est materia vitæ, quam Lex non nisi solis implentibus promittit; non perfectè servantibus horrendam maledictionem minatur Dent. 27. v. 26.

55. Cui quum præstando nos non sufficiamus Act. 13. v. 39. cap. 15. v. 10. Rom. 7. v. 14. 19, Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum, ut justitia legis impleretur in nobis Rom. 8. v. 3. 4. per imputationem sc. perfectæ obedientiæ per Christum legi præstita.

56. Quemadmodum enim primi Adami à vobis, & actuali Legis transgressione maledictio nos manebat aterna; ita secundi à vobis, & perfectâ legis impletione benedictio & vitæ aterna nobis est restituta. Nam quam ille petulanter excusit; hic voluntariâ subjectione sese Legi submitit, ad præstandum cælesti suo Patri pro nobis obsequium, inquit: Ecce venio: de me scriptum est in volumine libri. Facere voluntatem tuam, Deus mi, delectori & Lex tua in visceribus meis. Ps. 40. v. 8. 9. Heb. 10. v. 7: quam Christus venit, non solvere, sed implere, Matt. 5. v. 17. hoc est, legis mandata exsequi: non certè, ut sibi ipsi aliquid mereretur. Quid non enim ipse Dei filius descendens de cælo sibi acquireret? qui nobis datus & natus est Esa. 9. v. 6. Ioan. 3. v. 16. ut peccatores servaret. 1. Tim. 1. v. 15.

57. Hinc fructum sanctitatis suæ in alios se transferre, pro quibus seipsum sanctificet, manifestè testatur Ioan. 17. v. 19. Atq; ita demum ratam ac firmam esse intelligimus exuberantiam illam supra peccatum Rom. 5. v. 20.

58. Et pulcherrimus sanè locus est Gal. 4. v. 5. ex quo proponitur.

stum colligimus firmissimè. Legi enim à quâ Christus heic nos redemisse dicitur, non tantum quoad reatum ad mortem ac damnationem æternam, sed etiam quoad perfectam obedientiam, eramus obstricti,

59. Ex dictis liquet, etiamsi scriptura frequentius desinat Christi passionem & mortem, pro monstrando meriti illius complemento ac consummatione; non tamen excludi reliquam, quâ in vitâ defunctus est, obedientiam; quum scriptura causam venia, quâ nos à lege liberamur, ad totam Christi vitam extendat; nec nos plenariam, nisi pretioso illius sanguine $\omega\varsigma \alpha\mu\upsilon\tilde{\nu}\tilde{\alpha} \alpha\mu\omega\mu\upsilon\tilde{\nu}\tilde{\alpha} \kappa\alpha\iota \alpha\pi\omega\lambda\tilde{\iota}\tilde{\alpha}$ 1. Pet. 1. v. 19. redemptionis possessionem adeamus.

60. Quamvis igitur nos legi divinæ adhuc omnino debeamus obedientiam; non tamen hanc sub fiduciâ meriti justitiæ. Ea enim si per legem est, frustra Christus est mortuus Gal. 2. v. 21.

61. Quæ omnia manifeste convincunt falsitatis dogma illud superioribus annis introductum, hodieq; Piscatori, Martino, & alijs defensum: Christum solâ suâ obedientiâ passivâ (activâ exclusâ) justificationem nobis esse promeritum; & Romanensium delirium etiam blasphemiam: qui sua opera, quæ Paulus $\sigma\upsilon\delta\omicron\lambda\alpha \tilde{\epsilon}\nu\epsilon\upsilon \eta\gamma\tilde{\epsilon}\tau\alpha\iota$ Phil. 3. v. 8. Christi merito, in incomprehensibili hoc justificationis opere, auro videlicet lutum miscere; imò etiam illis longè majus quid, quàm Christi satisfactioni adscribere non verentur; id quod ex distinctione illorum inter Gratiâ primam, quam Christus promeritus sit; & secundam, quam proprijs operibus homo obtineat, ad oculum patet.

62. In tantum homines isti propriâ suâ sanctitate sibi blandiuntur & superbiunt, ut $\delta\pi\omicron\lambda\upsilon\tau\epsilon\omega\sigma\iota\upsilon$ Rom. 3. v. 24. & redemptionem absolutissimam, per Christum præstitam in $\eta\mu\iota\lambda\upsilon\tau\epsilon\omega\sigma\iota\upsilon$ impiè transformant, cumq; solum torcular calcasse. Esa. 63. v. 3. insipientur.

63. Quid verò Scriptura respondebunt? quæ adfirmat, frustra Christum esse mortuum, si ex Lege justificemur Gal. 2. v. 21. haut

v. 21. haut obscure innuens, quod lex conferret implentibus
Lev. 18. v. 5. à Christo esse petendum. Neg, enim aliud nomen,
sub calo datum est hominibus in quo oporteat nos salvos fieri
Act. 4. v. 12.

64. Christus autem Mediator, ejusq, satisfactionis suffi-
cientia quàm sancta apud illos sit, nimis manifestè produnt.
Quam etiam planè convellit, quod auctore Bellarmino suum,
quoq, fecit errorum monstris fertilissima Romana Ecclesia, Stan-
cari dogma, statuentis, Christum secundum humanam tantum
naturam esse nostram justitiam, contra luculenta scripturæ testi-
monia Esa. 35. v. 4. Jerem. 23. v. 6. Rom. 5. v. 10. Gal. 4. v. 4.
1. Joan. 3. v. 8. &c.

65. Infinitum namq, bonum placandum erat; absorbenda
mors aeterna! Ergò & q, infinito; vità aeternâ. Infiniti autem
valoris pretium infinite natura postulat auctorem. Quare
Deus ipse mundum sibi per Christum reconciliasse, & per san-
guinem crucis ejus omnia pacificasse dicitur 2. Cor. 5. v. 19. Col. 1.
v. 20. Et quæ tandem juxta dogma illud incarnationis filij Dei
posset reddi ratio?

66. Quo ipso etiam aboletur figmentum Osiandri, qui Chri-
stum secundum divinam naturam, non verò secundum huma-
nam nostram esse dicit justitiam, ipsi essentialem: quum tamen eâ
non censeatur justus, sed corruat peccator in judicio Dei: ut eam
cum Davide Ps. 130. v. 3. & 143. v. 2. humiliter potiùs deprecari,
quàm ad eam provocare discamus.

67. Illam quoq, Christus quum ab aeterno possederit, quo-
modo adquisisse dicitur justitiam? Et ut tribus rem totam
complectamur, suprâ dictum est, mundari nos ab omni peccato
Christi sanguine: quem quomodo natura divine sine ingenti ab-
surditate Osiander adscribet?

68. Vera ergò Christi Ecclesia firmissimè credit; quòd Chri-
stus, ut Deus, & homo, solâ suâ obedientiâ justitiam nobis acqui-
siverit.

si fuerit perfectissima: seu, ut loquitur Formula concordie, quod
neg. secundum solam divinam, neg. secundum solam humanam
naturam, sed totus Christus verè nostra sit justitia; quam no-
bis agendo & patiendopeperit. Actiones enim & passiones, ut
habet Axioma orthodoxum, sunt totius personæ.

69. Atq. ita Mediatoris officio perfectissime defuncta est
persona Deus & homo, ut sic Deus receperit hominem, & homo
Deo sit restitutus.

70. Sic à consideratione causæ efficientis primariæ, quam
in Deo; $\omega\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\lambda\omicron\varsigma$ item, quam in Dei Gratia; & $\omega\epsilon\gamma\alpha\tau\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\lambda\omicron\varsigma$
 $\chi\lambda\upsilon\eta\varsigma$, quam in Christi (qui & causa dicitur meritoria respectu
nostri) merito & satisfactione constitutam esse vidimus. Proxi-
mus nunc est accessus ad causæ Instrumentalis tractationem;
quæ duplex est: altera $\delta\omicron\lambda\upsilon\eta\varsigma$; manus sc. Dei prædixit, in
Verbo & Sacramentis suam nobis gratiam ob Christi meri-
tum promittentis & obferentis Ioan. 17. v. 20. Rom. 1. v. 16.
1. Theß. 2. v. 13. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21. 1. Cor. 10. v. 16. 17. Sed hæc
peculiaris accuratius pertractet disquisitio: altera $\lambda\eta\tau\iota\kappa\eta$, quæ
Fides est, Gratiam Dei in Christo oblatam fiducialiter appre-
hendens.

71. In hujus autem $\sigma\kappa\acute{\epsilon}\psi\epsilon\omega\varsigma$ ne limine impingamus, quan-
tum compendio sufficit, de quâ Fide heic agamus, aliquantò ac-
curatius dispiciemus. Fides enim Miraculorum est; est Hypo-
critica; est Historica: Sed quorum nulla per se ad propositum
quadret. Fidem enim querimus justificantem, quâ discernan-
tur filij Dei à reprobis & incredulis.

72. Jam vero miraculorum Fides id non præstat: quam
ut verè fidelibus pro certâ temporis ratione concessam fuisse sci-
mus ex Marc. 16. v. 17. 18; ita solos illos & semper comitari
Scripturæ auctoritate Matt. 7 v. 22. 23. 1. Cor. 13. v. 2. negamus.
Nam quis ferat, si quis nullos planè hodiè fideles superesse adfir-
ma verit? qui tamen eâ virtute pollere minimè conspicuantur.

73. Hypo-

73. Hypocrita verd licet externâ specie agnitionem Christi præ se ferant (quomodd & Simon Magus credidisse dicitur Act. 8. vers. 13.) quibus tamen fors inter verè fideles non est: quoniam cor eorum non est rectum in conspectu Dei, sed plenum felle amaritudinis & iniquitatis: ut Petrus de eodem Simone dicit ib. vers. 21. 23.

74. Fidem autem historicam & impij habent, imò etiam Diaboli Jacob. 2. 19. qui totam Scripturam norunt & Christum Marc. 1. 24. ejusq; veritati assensum præbere coguntur.

75. Id tamen minimè negamus; imò omnibus modis contendimus, fidem justificantem necessariò assensum requirere, non sanè qualem Pontificij fingunt, implicitum; quo credens ejus, quod credere tenetur, cognitionis provinciam ad Ecclesiam transmittat; quasi in Ecclesia reverentiâ, non in Dei & Christi cognitione vera fides jaceat; ut quidvis illa credat, sine delectu ut verum & orthodoxum exosculetur; nihil vero minus, quàm ejus scientiam habeat; Sed talem assensum, qui cum explicitâ divina voluntatis in verbo revelata, & omnium articulorum fidei notitiâ sit conjunctus.

76. Hanc litem definiat nobis Apostolus, qui τὸ ἔργον λαβὴν θεοῦ per τὸ ῥῶμα declarat Ephes. 3. vers. 18, 19. Et manifestè pro nobis est Scripturæ littera Esa. 53. 11. Ioan. 17. 3. Colos. 1. vers. 9. 10. &c.

77. At hæc notitia naturalis non est, evidenti scilicet in ratione naturali effectus & causæ cohesionis demonstratione; sed spiritualis, à Spiritu Sancto per verbum & Sacramenta in mentibus fidelium, qui non sunt in carne, sed in Spiritu Roman. 8. 9. producta 1. Corinth. 2. vers. 4. & seqq. Atq; sic in Intellectu fidem etiam esse, omne Dei verbum respicere, plurimâq; de eâ respectu notitiâ adfirmari, haut invidi largimur.

C

78. Quo

78. Quo notato, in fumum abeunt plerūq; Pontifi-
tiorum argumenta, contra fiduciam, quā fidem justificantem
ceu differentia essentiali (ita loqui liceat) constitui paulò post
dicemus: Et simul patet, quam egregie rem confecerit Bellar-
minus, stridens: Fidem melius per ignorantiam, quàm per
notitiam definiri lib. 1. de Justif. cap. 7.

Lib. 1. de
Justif. c. 5.

79. Scriptura, ut vidimus, Fides scientia est; Bellar-
mino ignorantia: ut ita fides salvifica fide Diabolorum lon-
gè sit inferior; nec amplius τὸ ἐλέγχε Hebr. 11. 1. nomen,
ex ipsius etiam Bellarmini vocis explanatione, mercatur. To-
lerabilis sanè, imò & verè notitiam illam languidam dixisset,
& ex parte 1. Corinth. 13. 9. Sed que speciem minimè variet.

80. Notitia autem hac, quia, ut diximus, Diabolis
etiā & impijs cum pijs est communis, Fidei justificantis, quā talis,
naturam non constituit. Est ergo isthac firma misericordie
Dei per & propter Christum in Evangelio promissæ fiducia, id
quod Petrus rotundè dicit: per fidem in Deum credere.
1. Pet. 1, 21.

81. Distinctè quod adfirmamus est probandum. Et
fidem, de qua agimus, fiduciam esse, firmissimè arguitur ex
Roman. 4. v. 18. 20. 21. Hebr. 11. 1. Utq; omni amotà hesita-
tione fiducialiter orare jubemur Marc. 11. 24. Jac. 1. 6 Sic
nec dubia ac versatili persuasione fides est contenta. Nam
qui Deo non credit, facit ipsum mendacem 1. Joan. 5. vers. 10.
Unde Servator dicit Paralytico: Confide fili, remittuntur
tibi peccata tua Matth. 9. 2. Confer Joan. 16. v. ult. 1. Joan. 5.
4. Ut sciamus, credentes ad thronum gratie accedere oportere
cum fiducia, ut accipiant misericordiam Dei Hebr. 4.
16. nec esse veram fidem, nisi quando cum πᾶρρησία Eph. 3.
12. 1. Joan. 3. 21. cap. 5. v. 14. Hebr. 3. 6. cap. 10. 35. ἀληθ-
γοεῖα Coloss. 2. 2. Hebr. 5. 11. cap. 10. 22. πᾶρρησία Ephes. 3. 12.

atq;

atq; ita tranquillis animis in conspectum Dei nos sistere au-
demus.

82. Id quomodo nudus praestet assensus, exemplo infi-
delium ac Diabolorum planum esse poterit; utq; ille non re-
cipiat Christum, & per eum reconciliationem, promissionem
Spiritus, & hereditatem aeternam: quod tamen verae fidei
proprium est Joan. 1. 12. Roman. 5. 11. Galat. 3. 14. Hebr. 9. 15.

83. Praeterea Christus discipulos ὀλιγοπιστας reprehen-
dit ob timiditatem (qua fiducia opponitur) Matth. 8. 26. Et
videas, quam aperte Pontificiam dubitationem confundat
Dominus Matth. 14. 31.

84. Quum igitur tutò de ejus veritate presumere
possimus, qui dixit; Secundum fidem vestram fiat vobis
Matth. 9. 29. dubitandi locus relictus certè nullus est. Quid
enim? Quemadmodum sine fide salutem consequi non datur
Marc. 16. 16. ita fide interveniente per Verbum & Sacramen-
ta regenerantur fideles 1. Pet. 1. 23. Tit. 3. 5. Et Spiritu S.
obsignantur Ephes. 1. vers. 13. 14. 2. Cor. 1. v. 22. qui reddit te-
stimonium spiritui nostro, quod simus filij Dei Rom. 8. v. 16.

85. Corde ergò creditur ad justitiam: & quisquis cre-
dit in Deum, non pudebit Roman. 10. v. 10. 11. Quocircà
promissiones gratiae, ut sensim eò deveniamus, non extra nos
tantum, quasi velo interposito, intueamur; sed nobis eas ap-
plicemus, & intus complectamur. Neq; enim finem suum,
qui proponitur Roman. 4. vers. 16. nisi certà fiducià promissio
consequitur.

86. Verum enimverò non ad quamlibet Dei vocem,
cor hominis in illam erigitur; nec certè, quando dicit Deus,
Morte morieris Genes. 2. 17. Maledictus omnis &c. Deut. 27.
26. fides firmatur. Quamvis igitur Verbo Dei, quid &
quocunq; modo id loquatur, subscribere, fidei officium sit;

quod tamen ista in actu justificationis respicit, & in quod cor hominis firmâ fiducia reclinare potest, id est sola Gratia Dei per & propter Christum promissio.

87. Objectum, inquam, fidei generale omne Dei Verbum est; speciale verò & adequatum, quatenus scilicet illa est justificans, misericordia Dei specialis in Christo exhibita, & in Verbo promissa: Sic docetur Esa. 53. 11. Jerem. 23. 6. Ioan. 3. v. 16. cap. 6. 40. 1. Corinth. 1. v. 30. Actor. 4. 12. cap. 10, 43, Ephes. 2. 4, & seqq. &c.

88. Ideoq; quod de Abrahamo objiciunt Papicola ex Roman. 4. 18, ita invertimus, & magnâ contentione urgemus contra Nearrianos: Fides Abrahami, quâ justificatus est, pro objecto habuit redemptionem Christi Roman. 3. 24. ejus sanguinem v. 25, mortem & resurrectionem cap. 4. vers. ult. Promissionem etiam de multiplicatione seminis, propter Christum respexit Galat. 3. v. 16. 17. Ergò Christus est objectum verum fidei justificantis. Quamvis interim in credentibus, ubi de exercitijs fidei est questio, eam varia objecta admittere concedamus, quæ tamen illi unice superstruantur.

89. Hinc facillè intelligitur, quam & quomodo Fidem justificare statuamus; non sanè quatenus est qualitas nobis inherens; se relativè, quatenus nimirum in justitia Christi, & Gratia Dei communicationem nos inducit. Nam ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam Roman. 4. 5.

90. Ubi simul observare licet, Imputationis hujus fundamentum in eo constitui, qui justificat, & in ipsâ Dei misericordiâ: cui opponitur imputatio, quæ relationem habet ad mercedem & opera Roman. 4. v. 4. seu, cujus fundamentum est in operante, cui fit imputatio.

91. Dum:

91. Dùm ergò Apostolus illi Justificationem ita adscribit, ut huic detrahat, facile perspicitur, quantà equitate Pontificij nostram doctrinam exagitent, quàm dicimus: *Hominem solâ Fide justificari.*

92. Neg, enim nos totam justificandi vim (quo modo id nobis Jesuita adfingit) Fidei transcribimus; nec aliam fidem, quam per caritatem efficacem, contra Paulum Galat. 5. v. 6. justificare adfirmamus; nihil minus: Sed ab illâ caritatis & virtutum in nobis efficaciâ fidem sumere vim justificandi, id verò etiam atq; etiam inficiamur: Ut soli Gratia Dei & Redemptoris satisfactioni, quam Fides apprehendit, in solidum Justificatio nostra accepta feratur.

Bellarmin.
lib. 1. de Ju-
stif. cap. 14.

93. Nec aliter potest statuere, qui tantâ contentione ubiq; in sacris ab actu Justificationis opera arceri, & eorum ac Fidei oppositionem urgeri videt Roman. 3. v. 27. 28. cap. 4. v. 2. & seqq. Galat. 2. v. 16. Tit. 3. 5. &c. Et edisserant Sophistæ, quomodo gratuitum cum operibus conciliare velint, quando Gratis justificari dicimur Roman. 3. 24. Sed de his jam prolixius agendi locus non datur.

94. Ista etiam quia sat perspicuè monstrant *ἡ ἀνάγκη* Justificationis solos esse credentes in Christum, ut quoq; ex collocatione locorum Marc. 16. v. 16. Joan. 3. 18. Rom. 1. 17. cap. 3. 22. 26. &c. patet: Illud porro breviter videamus, quod Orthodoxi statuunt: justitiam Dei, quâ videlicet homo peccator à reatu ira Dei & mortis æterna liberatur, ac justificatur in conspectu Dei; sive causam Justificationis formalem in duplici respectu esse positam: in Remissione nimirum seu non-imputatione peccatorum; & imputatione justitiæ Christi.

2. Materia
circa quam

3. Forma.

95. Ista ut una perfecta est, ita sola iudicium Dei potest sustinere: quod nihil admittit imperfectum, nec operum

C. 3.

rum

rum ullam agnoscit justitiam, nisi imperfectâ Legis divinæ observatione. Illâ ergo nos indui oportet, ut ejus beneficio justî habeamur: Illâ tectâ nobis & remissa oportet peccata, antequam in conspectum Dei prodeamus.

96. Utrumq; illud pulcerrimè liquet ex 2. Corinth. 5. v. 19. 21. Et Justificationis ratio ista exactè congruit cum corruptione hominis per lapsum contractâ, quæ justitiæ originalis privationem, & injustitiæ positionem designat.

97. Ita igitur perpetua illam vox Scripturæ adstruit: Prius quidem Roman. 4. v. 7. 8. Psal. 32. v. 1, 2. Coloss. 1. v. 14. Actor. 13. v. 38. Posterius verò Roman. 5. 19. 1. Corinth. 1. 30. Esa. 45. 24. Jerem. 23. 6. &c. Quemadmodum enim Deus Christum, qui peccatum non novit, peccatum pro nobis fecit 2. Corinth. 5. 21. imputatione scilicet, non infusione alienæ injustitiæ, ita nos sumus justitiæ Dei in ipso.

98. Sic omnis cavillandi ac calumniandi ansa Adversarijs præciditur: quasi Nostri non veram, sed putativam doceant justitiæ, quando imputativam statuunt. Sic scilicet Christus etiam putativè duntaxat peccatum factus est; putativè, non verè, peccata nostra tulit? Verè, inquit Bellarminus, quoad debitum satisfaciendi. Quasi verò, ubi omnis culpa abest respectus, pœnæ locus sit. Et quid sibi vult, quòd Christus maledictum factus dicitur Galat. 3. 13. ob nostra peccata, quæ nos sola maledictioni fecerunt obnoxios.

99. En autem tibi fundamentum imputationis illius longè firmissimum, & vindex ac decretum divinæ voluntatis? En, cui innititur, sufficientissimum Christi meritum!

100. Quare Pontificij oppidò aberrant, quando remitti dicunt peccata justificatis, non tantum quoad reatum, sed & quoad inherentiam: seu non modò ut nè imputentur; sed etiam ut planè non sint. Atqui reatus certè in totum remittitur
Rom. 8.

Lib. 7. de
Justif. c. 10.

Roman. 8. 1. sed non esse (ut sic dicam) peccati manere liquet inrenatis ex Roman. 7. v. 17. Unde etiam omnes Sancti pro remissione peccatorum orare necesse habent Psal. 32. 6. Matth. 6. 12. Et si peccatum nos non habere dicimus, veritas in nobis non est 1. Joan. 1. 8.

101. Quin aliàs minimè consisteret id, quod David beatorum pronunciat, cui tecta sunt peccata. Non enim tegumento opus est ei, quod planè non est: & lucta carnis ac spiritus in justificatis alioqui tota exspiraret.

102. Quando verò inbarentem illi docent justitiam, querere lubet ex eis: Annon Abrahamus quoque inbarentem habuerit justitiam? Et, Cur ex eà justus habitus negetur? Rom. 4. v. 2. 3. Et quid sibi velit, quod impio fides sua ad justitiam dicitur imputari? vers. 5.

103. Ergò, ne pluribus 'rem' manifestam persequamur, quum nemo nostrum non longissimè absit ab illà perfectionis, quã Deus requirit, metã; justitiam Christi absolutissimam pro nobis sibi oportet, quã nos instructi assiduam peccatorum remissionem in fide obtineamus, nec in iudicium Dei veniamus; sed cum eo pacem habeamus per Christum Roman. 5. 1. atque sic de die in diem renovemur 2. Corinth. 4. 16 & spiritu facta carnis mortificemus Roman. 8. v. 13. donec tandem planè extincto in nobis veteri homine, in gloriam caelestis regni, receptã perfectione verã, transferamur, & finem justificationis nostrã, qui vicia est aeterna 1. Tim. 1. 16 Tit. 3. v. 7. consequamur, ad laudem gloriosa Dei gratie, ad quam nos per Christum in filios adoptavit Eph. 1. v. 5. 6.

4. Finis.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Roman. 8. 1. sed id esse (ut sic dicam) peccata
renatis ex Roman. 7. v. 17. Unde etiam oratione
missione peccatorum orare necesse habent Ps.
12. Et si peccatum nos non habere dicimus
non est 1. Joan. 1. 8.


101. Quin aliis minimè consisteret id
tum pronunciat, cui tecta sunt peccata.
to opus est ei, quod planè non est: & luctu
in justificatis alioqui tota exspiraret.

102. Quando verò inbarentem illi
querere lubet ex eis: Annon Abrahamus
habuerit iustitiam? Et, Cur ex eâ iustus habitus
v. 2. 3. Et quid sibi velit, quod impio fides sa
tur imputari? vers. 5.

103. Ergò, ne pluribus 'rem' manifestum
quum nemo nostrum non longissimè absit ab i
Deus requirit, metâ; iustitiam Christi absol
fisi oportet, quâ nos instructi assiduam pe
nem in fide obtineamus, nec in iudicium
cum eo pacem habeamus per Christum Rom
die in diem renovemur. 2. Corinth. 4. 16. Et
nis mortificemus Roman. 8. v. 13. donec tan
in nobis veteri homine, in gloriam caelestis
fectione verâ, transferamur, & finem ju
qui vita est aeterna 1. Tim. 1. 16. Tit. 3. v. 7.
laudem gloriosa Dei gratia, ad quam no
in filios adoptavit Eph. 1. v. 5.



the scale towards document



uet in
ro re-
th. 6.
nobis

d bea-
umen-
iritus

am,
entem
om. 4.
a dici-

mur,
is, quâ
nobis
missio-

4. Finis.

5. sed
sic de
a car-
tincta
â per-
ostrea
r, ad